



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

13. Aliud Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

375 Sed iam concedamus dari mutua causalitatem inter habitum gratiae, & actum contritionis, ratione cuius affertur isti auctores posse etiam dari mutua causalitatem inter praedeterminationem, & actum contritionis ab illa factum: sed re vera licet detur talis mutua causalitas inter gratiam habitualement, & contritionem, nihilominus ostendamus non esse eandem rationem in mutua causalitate inter gratiam habitualement, & amorem Dei, & inter praedeterminationem, & actum, quod sic demonstro.

376 Praedeterminatio ex intrinseco suo conceptu habet repugnantiam, ut componatur cum actu, & eius carentia, quia determinate respicit actum, sine quo non potest existere: sed in hac sententia de mutua causalitate charitatis, & gratia ex intrinseco suo conceptu, & secundum se non habet determinationem ad actum, sed possunt componi cum eius carentia: ergo non est eadem ratio, utriusque consequentia patet, quia argumentum sumitur à principio indifferenti secundum se ad determinationem secundum se. Minor datur ab auctoribus mutuae causalitatis, ad quos non potest argui ad hominem, quia ipsi negant gratiae determinationem in actu primo ad operandum, & eam admittunt in praedeterminatione. Deinde, quia si gratia non habet eam indifferentiam, iam non est fugere difficultates praedeterminationis, sed eas trajicere ad gratiam habitualement, unde si ipse sentit sententiam suorum esse dignam aliqua censura, haec etiam sententia mutuae causalitatis est digna eadem, quod nullus potest recte admittere.

377 Tertio, quia habitus ex natura sua infundi potest sine illa dispositione ut patet in pueris baptizatis, & in adultis iustificatis in Sacramento per attritionem; item potest existere ille habitus tam in pueris, quam in adultis quin operetur; quamvis in actu primo sint in adultis omnia requisita ad operandum: ergo habitus secundum se est independens ab operatione, & ita operatur, ut possit non operari; nam quando operatur in casu, in quo disputo, operatur cum eadem indifferentia, cum qua in adulto iam iusto, in quo multi actus exercentur sine mutua dependentia, & sine determinatione ipsius actus in actu primo, quia iustus omittit libere multos actus charitatis, quos posset libere facere. Maior autem est ipsorum, & probatur, quia praedeterminatio, vel potest componi ex modo suo agendi cum actu, & eius carentia, vel non potest: Si non potest, est maior propositio primi syllogismi; si potest: ergo iam ex natura sua auxilium efficax potest esse inefficax, quia potest carere effectu; item iam illa qualitas esset qualis à nobis constituitur nempe sine efficacia physica ex se.

378 Explico, etiam est mutua causalitas per vos inter formam ignis, & calorem; nec tamen propterea calor producit libere ab igne: ergo non sufficit quavis mutua causalitas; sed requiritur ut actio ita oriatur ab agente ut ex conceptu ipsius possit non oriri: nam ut effectus sit liber opus est ut habeat indifferentiam respectu alicuius principij, sed etiam non habet comparisonem principij passivi, unde actus praedeterminatus non habet libertatem ut praecise recipitur in voluntate: ergo praecise ut praecedit in genere dispositionis passivae non concipimus illum esse liberum: ergo ex hoc conceptu mutuae causalitatis non iuvat libertas magis quam si non esset haec causalitas. Patet consequentia, quia haec praeter influxum actuum non includit, nisi concursus dispositivum materialiter: sed in hoc ut distin-

guatur ab activo nulla cernitur ratio libertatis: ergo haec mutua causalitas non iuvat libertatem: ergo tota libertas sumitur praecise in ordine ad principium actuum: sed principium actuum non operatur libere, sed necessario quia operatur cum praedeterminatione ad unum: ergo hoc genus operandi cum mutua causalitate habet eandem difficultatem, quam praedeterminatio sine causalitate mutua.

379 Confirmatur, quia non est in nostra potestate habere praedeterminationem; quia ut sit in nostra potestate debet esse libera nobis dispositio ad illam: sed dispositio, ut est dispositio non est nobis formaliter libera, quia ut dispositio non habet influxum actuum à nobis sed passivum, item illam debemus habere per influxum praedeterminationis; sed hunc influxum non possumus cohibere ex suppositione praedeterminationis, quia non possumus cum illa componere dissentium: ergo illa dispositio, ut dispositio non est in nostra potestate: ergo praedeterminatio non est in nostra potestate, quod si est: ergo potuimus efficere ne praedeterminemur. Rogo, illa actio ut libere potuit efficere ne praedeterminemur à quo principio id habuit actine: Nam ab aliquo id habuit necessario, quia libertas est in ordine ad agens, non potuit autem eam libertatem habere à praedeterminatione, quia haec non intelligitur in illo priori, quia in illo priori intelliguntur causae dispositionis ad praedeterminationem inter quas non est ipsa: ergo illa libertas sumitur ab alio principio activo non praedeterminante: ergo vel dispositio ad praedeterminationem non est nobis libera vel est ab alio principio non praedeterminante, in hac sententia damus dispositionem illam oriri à principio, à quo potuit simpliciter non oriri quod componi potuit cum actu, & eius carentia: ergo non est eadem ratio mutuae causalitatis inter actum & habitum charitatis, ac inter praedeterminationem, & actum, quia actus praedeterminatus non oritur à suo principio cum indifferentia, ut cum illo principio componatur ipsius actus carentia, ut oritur actus ab habitu residui: ergo haec sententia in eadem difficultates in quas praedeterminatio sine causalitate mutua. Ex quibus manifeste concluditur minime enervare solutio horum recentiorum argumenta validissima pro Societate.

SVBSECTIO III.

Aliud argumentum ponitur.

380 Secundo, principaliter sic argumentor, quia si concursus praevius determinans est ad operandum necessarius: ergo sine illo influxu, seu concursu non potest moveri voluntas tanquam potentia proxima & expedita ad opus, sicut non potest calefacere ignis sine concursu Dei, nec manus potest movere calamus nisi à voluntate vel appetitu moveatur; nam intimius, & essentialius dicitur pendere voluntas ab hac motione & determinatione Dei in operatione sua, quam dependeat motio manus à voluntate: ergo quando Deus non dat hanc determinationem, etiam si omnia necessaria ad volendum adsint, adhuc non est in voluntatis potestate positum velle, vel operari. Probatur consequentia, quia si non est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque est in potestate eius habere ta-

lem determinationem, vt velit: ergo nequaquam ipsam velle est in potestate eius nisi prius Deus huiusmodi determinationem tribuat, quod solum est in eius potestate, & arbitrio. Vnde ipsi Deo libera esse poterit hominis morio, & determinatione, non autem ipsi homini sicut morio manus libera est voluntati non autem manui.

381 Dices cum Alvarez, libro tertio, de auxiliis, disputat. 2. 3. m. 29. concursum illum seu influxum, physice prædeterminantem non esse necessarium vt homo absolute, & simpliciter possit operari, sed solum requiritur vt actu operetur; vnde ex eo quod homo non recipiat huiusmodi concursum, non inferitur quod non possit operari, sed solum quod non operabitur, nec sequitur quod non sit liber, sed tantum sequitur quod homo non sit simpliciter primum liberum, neque exemplum adductum de manu mota à voluntate est ad propositum; nam manus à voluntate ita mouetur ad actum liberum, quod non se mouet per actum principium liberum sibi intrinsecum, ceterum voluntas creata ita mouetur, & prædeterminatur à Deo prævia motione ad actum liberum, quod in eodem instanti temporis seipsam libere mouet per actum principium sibi intrinsecum.

382 Sed contra, quia hæc responsio neque constare potest in sententia dictorum Auctorum, neque simpliciter satisfacere, primum enim dicti auctores docent influxum hunc esse motionem quamdam voluntati impressam, eique inhaerentem, quæ est veluti complementum vltimum virtutis necessariæ ad agendum: ergo non solum est necessarius hic influxus vt voluntas operetur, sed etiam vt velle, & operari possit, quæ sine illo virtus voluntatis, imo vt ipsi aiunt virtus etiam charitatis habitualiter infusæ est incooperata, & insufficientis ad actum eliciendum: ergo sine illo influxu non solum non ager voluntas, sed nec poterit agere, cum aut talis influxus, qui physica prædeterminatio dicitur sit auxilium efficax.

383 Sequitur euidenter sine auxilio efficaci non posse voluntatem operari actum virtutis supernaturalis, sed auxilium sufficiens: ergo cum auxilio sufficienti non poterit voluntas conuertere; ex quo euidenter sequitur nullum dari auxilium sufficiens quod est contra omnes Doctores & Patres Ecclesiæ qui diuidunt auxilium vt sit in sufficiens, & efficax, quod autem secundum principia huius sententiæ non datur auxilium sufficiens, patet euidenter, quia vt probatum est, sine auxilio efficaci non potest homo conuertere: ergo si auxilium sufficiens non est efficax vt probatum est cum illo, vt dixi non poterit conuertere, sed auxilium cum quo non potest homo conuertere non est sufficiens, quia sufficiens dicitur illud cum quo voluntas sufficienter potest conuertere: ergo nullum datur sufficiens, nisi efficax.

384 Iterum sequitur omnibus illis qui de facto non conuertuntur, & quibus negat Deus auxilium efficax physice prædeterminans negare Deum auxilia sufficientia, quod etiam est maxime periculosum in fide, quia in hac vita nulli negat Deus auxilia sufficientia, vt possit conuertere: alias nulli imputaretur peccatum quod committit quando non obseruat præceptum de dilectione Dei, aut de contritione, siquidem non habet sufficientes vires ad eliciendum actum illum, quo facto adimplet præceptum, tunc enim imputatur ad culpam omissio actus præcepti quando omittens talem actum ita omittit libere, vt posset facere actum præceptum: sed qui non habet auxilium sufficiens ad actum præceptum non po-

I. P. Tom. II.

test facere illum, neque habet vires sufficientes ad eius effectum: ergo talis omissio non imputabitur ei ad culpam, quia est carentia necessaria, & non libera.

Confirmatur tota hæc ratio principalis, quia aut hic influxus physice prædeterminans est necessarius per modum principij, aut per modum concursus immediati in effectum ipsum; si dicatur primum, vt necessario dicere debent Auctores illius sententiæ, quia non ponunt hunc influxum esse immediate in effectum aut actum, sed in causam, id est in voluntatem, vt eliciat actum, si hoc inquam dicatur, sequitur hanc influxum esse necessarium ad posse velle, & non tantum ad velle; nam cum dicitur influxum esse ad posse, non est intelligendum ipsum posse, esse terminatum, vel finem, ad quem ordinatur auxilium, sed esse quasi effectum formalem, qui confertur per influxum necessarium, quod datur per modum principij, & confert posse agere, quia cum datur vt principium ad agendum cum voluntate constituit integrum principium agendi, & hoc ipsum est dare voluntati vt possit agere: ergo non tantum ad velle, sed etiam ad posse est necessarium hoc auxilium, quia sine illo nondum est constitutum sufficiens principium, nec sufficiens potentia ad agendum: ergo implicat intelligere sufficiens posse & solum esse ad agere tale auxilium: ergo sine tali auxilio non potest operari voluntas, ac proinde nullum aliud dabitur auxilium sufficiens, nisi efficax, quod est contra communem sensum Conciliorum, & Patrum, siquidem in omnibus conceditur, etiam peccantibus auxilium sufficiens ad non peccandum, quibus non conceditur auxilium efficax, alias illi, qui peccant non peccarent, quia nullus peccat excitatus, & adiutus efficaci auxilio.

Confirmatur secundo in ordine supernaturali, quia auxilium sufficiens datur per modum principij cum datur absque actu, vt possit facere illum & consequenter vt in ordine sit sufficiens vere debet aliquomodo includere omne id, quod est necessarium per modum principij, quia non potest dici principium sufficiens illud quod non includit quidquid est necessarium in ratione principij: ergo si hoc auxilium efficax, quod est physice prædeterminans, est necessarium in ratione principij, sine illo, nullum est auxilium sufficiens quoniam totius si aliquod auxilium interdum dicitur sufficiens ad actum, quæ efficere non potest sine alio maiori auxilio, quod sit etiam principium actus, illud tale auxilium non potest vere esse sufficiens proxime, cum per se non sufficiat, sed remote seu per aliud ad hoc constituitur ergo necessarium esse, vt sit in hominis potestate, aliquid facere per prius auxilium, quo posterius, & maius obtineat ad efficiendum alium actum: sic ergo in præsentia, si hoc auxilium efficax est necessarium ita per modum principij, vt sine illo non possit voluntas operari, nullum aliud poterit esse sufficiens proxime, & immediate, sed neque esse potest sufficiens mediate, quia per illud nihil potest facere homo, quo obtineat auxilium efficax, vt ipsimet Auctores illius opinionis frequentius dicunt, ponentes hoc auxilium efficax in sola Dei voluntate sine villo respectu ad nostram libertatem, vel eius usum vt antecedentem, vel concomitantem, sed tantum vt subsequentem, in quo sane consequenter loquuntur. Si vero influxus efficax dicatur tantum necessarius per modum concursus, verum quidem est talem influxum, vt actu collatum, & exhibitum esse necessarium ad agendum, vel volendum, & non ad posse, quia talis influxus hoc modo consideratus, non est aliud quam actio vt modo consideratus.

ooo

Nihil

387 Nihilominus tamen, ut homo ante exhibitum hunc influxum in actu secundo sit simpliciter potens ad talem actum eliciendum, necessarium est ut habeat alium influxum ita præparatum seu oblatum, ex parte Dei, ut sit in manu & potestate hominis habere illum si voluerit; nam si concursus est necessarius ad volendum, & voluntas neque actu illum habet, neque potestate, quia neque illi offertur, neque ipsa quidquam facere potest, ut illum obtineat, nullo modo dici potest voluntas moraliter, & proxime potens ad volendum; at vero si hic influxus, etiam si dicatur esse per modum concursus datur per physicam præmotionem ad arbitrium Divinæ voluntatis, hic, qui non habet talem motionem, non solum non habet actu concursum, sed neque etiam potens est habere, igitur non solum non agere, sed neque potens est agere.

388 Vergetur tertio, quia quamvis gratis demus aliquid esse necessarium ad actionem, quod non est necessarium ad potentiam, (hoc quidem est verum in concursu actuali non est in actu primo) tamen ad potentiam simpliciter, scilicet proxime expeditam ad agendum cum omnibus prærequisitis, necessarium est ut homo, saltem in actu primo, seu in potestate habeat quiddam in actionem est necessarium, quia alias potentia non erit proxima, & præsertim moralis, sed tantum remota, & insufficientis: ergo si influxus physice prædeterminans est necessarius ad velle, oportet ut saltem sit in potestate hominis habere illum, alioqui nullo modo dici potest homo habere auxilium sufficiens & morale potentiam ad eliciendos hos actus, & consequenter nec voluntati eius poterit imputari, quod illos non eliciat.

389 Præterea hic nullo probabilis colore accommodari potest solutio aduersariorum, quia præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ est voluntatem non determinatam ab alio, quia indifferens est insufficientem esse & non posse per se se determinare: ergo sine illa determinatione, voluntas non solum non vult, sed etiam, nec velle poterit. Adde quod hæc determinatio dicitur esse necessaria, ut ultimo compleat virtutem agendi causæ proximæ: ergo sine illa non potest agere.

390 Tandem utcumque sit necessaria, si non habetur nec haberi potest omnis potestas quæ voluntati attribuitur, erit mere physica, & remota, non autem proxima, & moralis, quæ ad usum liberum, & culpam, aut actum virtuosum necessaria est.

391 In illo autem discrimine, quod reddit aduersarius inter manum, & voluntatem committit petitionem manifestam principij, nos enim asserimus ex sententia aduersariorum sequi, nullum dari in voluntate principium liberum, nullamque in ea reperiri libertatem, quia ideo colligimus in manu nullam dari huiusmodi libertatem, quia mouetur, & determinatur ad unum sine aliqua indifferentia à voluntate, sed voluntas mouetur à Deo & determinatur ad unum opus sine aliqua indifferentia illius ad operandum, & non operandum, cum necessario ex suppositione prædeterminationis operetur voluntas id ad quod prædeterminatur: ergo non habet principium liberum à quo in eodem instanti moueatur. Ecce argumentum nostrum.

392 Ad quod responderi Aluarez, manifesta petitione principij dum ait; nam manus à voluntate ita mouetur, quod non se moueat per principium li-

berum sibi intrinsecum, ceterum voluntas creata ita prædeterminatur à Deo, quod in eodem instanti seipsam libere moueat. Ecce Aluarez manifeste conuictus nullam tribuit solutionem, quia pro ratione conclusionis tribuit ipsam conclusionem, ac proinde committit petitionem principij.

Deinde videtur supponere non posse necessitari voluntatem, etiam si sit libera per aliquam entitatem impressam de foris; nam tota ratio quare Aluarez asserit voluntatem non necessitari à physica prædeterminatione, ut necessitari manus, est quia in voluntate datur principium intrinsecum liberum, in manu vero non; Hoc autem esse falsum patet clarissime; nam in patria licet intrinsece, & essentialiter sit libera, necessitatur media visione beatifica, & lumine gloriæ existentibus in intellectu beatorum, & sine dubio potest Deus per aliquam entitatem, vel modalem, vel realem existentem in voluntate necessitare illam ad unum, stante adhuc integro iudicio rationis de obiecto ex se indifferenti, & non necessario; nam ut ait Augustinus, in *Enchiridione*, capite 98. Deus qui omnipotens est potest mutare voluntatem hominis quando voluerit, & ubi voluerit; sed ad eandem omnipotentiam spectat posse illam mutare quomodo voluerit si in modo nulla apparet implicatio contradictionis: ergo non solum Deus potest mutare voluntatem seruando eius libertatem, sed etiam necessitando illam & liberum usum impediendo. Probat hæc vltima consequentia, quia nulla maior repugnancia in vno, quam in altero modo inuenitur, imo difficilius videtur voluntatem mutare efficaciter salua eius libertate, quam eam necessitando, quæ in priori modo oportet in eadem actione coniungere potestatem non agendi cum infallibilitate agendi, quod videtur difficilimum; in modo autem posteriori cessat difficultas, quia si motio inducit necessitatem, consequenter habebit infallibilem effectum; aliunde vero ex parte ipsius voluntatis creatæ nulla est specialis repugnancia, quia licet habeat duplicem potestatem agendi scilicet & non agendi, potest per omnipotentiam dei secundum alteram fini operari, & secundum alteram impediri ne suammet operationem possit suspendere, tunc autem operatio erit necessaria, & non libera quoad exercitium, quia libertas in operatione non est sola entitas actus, vel modus intrinsecus eius: sed est denominatio à potestate agendi, & non agendi vtrique ad vtrumque expedita, seu non impedita: ergo tunc actus carebit tali denominatione, & consequenter erit necessarius, neque in eo quod Deus impediat usum illius potestatis in voluntate creatæ, aliqua repugnancia cogitari, vel inferri potest, quia cum omnis potestas causæ secundæ sit subdita potestati causæ primæ, facile potest per illam impediri, ne suammet potestatem vitetur, & oppositum videtur multum derogare omnipotentia dei, & eius eminentia super omnem potestatem creatam; unde hac ratione potest efficacissime impedire ne voluntas velit negando illi suum concursum, & consequenter necessitando illam ad non volendum, seu ut necessario exerceat potestatem non volendi; ergo etiam potest impedire usum potestatis ad suspendendum actum, & sic illam necessitare ad agendum, & exercendam potentiam agendi.

Deinde

394 Deinde, quia maius dominium habet Deus in voluntatem creatam & magis potens est circa illam, quam vnus homo circa corpus alterius hominis: sed vnus homo potest necessitate alterum hominem vt actionem aliquam necessario faciat, vt deambulare sursum, ascendere, descendere, quæ alias essent actiones liberæ infligendo aliquam entitatem homini; ergo à fortiori poterit Deus necessitate voluntatem infligendo entitatem determinantem talem potentiam illi, vt necessario operetur, quæ alias libere operatura erat, illa autem entitas deberet esse necessario antecedens vsum liberum voluntatis, illiusque potestati non subiaceret quantum ad vsum, sed potius illam sibi subiiceret, & obsequentem faceret, ita vt non posset voluntas illi impressioni resistere, nec se continere quin velistat tali impressione, seu præuia motione.

395 Exemplo evidentissimo probatur hoc, nam ideo motio seu impetus impressus uni homini ab alio pollente maioribus viribus necessitat illum ad mouendum, id est, vt moveatur, ita vt in tali motu nulla exerceatur libertas, quia talis impetus non dependet à voluntate hominis moti, sed à solo mouente, & respectu illius merè passive se habeat motus, licet postea supposito illo impetu moveatur & actiue se habeat, talisque impetus, seu motio est prædeterminatio ad motum, ita vt non subiaceat moti potestati, seu potius motus subiaceat illi, & non possit tali impressioni resistere: ergo similiter eveniret in casu dicto, vbi omnia, quæ hic concurrunt concurrerent sine dubio.

396 Sed dum Deus influit in voluntatem physica prædeterminatione, talis physica prædeterminatio, seu influxus antecedit omnem vsum liberum voluntatis, & respectu illius merè passive se habet voluntas, nullumque dominium habet supra illum; nec illi resistere potest, quominus talis voluntas determinetur ac necessario rapiatur ad opus illud ad quod prædeterminatur per talem influxum: ergo necessitat per illum voluntas ad operandum, & supposita illa motione licet in se in actu primo sit libera, minime libere operatur, vt male asserit Alvarez, cum non in potestate hominis sit moti, & prædeterminatio, aut habere illam determinationem, aut abdicere illam postquam habet, aut non operari posita illa.

397 Dices esse in potestate hominis habere hanc determinationem, & ideo ei, ut liberæ causæ attribui carentiam eius, & actus, qui ex illa sequeretur.

398 Sed in primis Auctores contrariæ sententiæ non possunt hoc modo respondere: dicunt enim Deum suo arbitrio dare vel negare hanc efficacem motionem quibus vult, & quando vult absque vlla dependentia ab vfu, vel consensu libero humanæ voluntatis, ut antecedente vel concomitanti, solumque respicere illum, vt effectum subsequenterem.

399 Deinde non potest quidquam aliud consequenter dici, prosequendo enim exemplum propositum, quid, quæso, faciet ille homo vt adeo determinetur ad eam voluntatem vacandi virtuti? nam si eius potestate positum est habere determinationem illam: ergo erit positum hoc in eius voluntate, nam vt Augustinus alias dixit, nihil magis est in nostra potestate quam quod est in nostra voluntate, præsertim quia oportet hanc potestatem esse moralem,

vt homini imputetur vfu eius, vel non vfu, potestas autem moralis non est in homine nisi media voluntate; quomodo ergo erit in potestate illius hominis habere illam determinationem, adeo ut virtuti vacare velit? aut enim aliquid potest facere voluntas quo obtineat adeo illam determinationem, vel nihil agere potest? si nihil potest facere: ergo non est in potestate eius habere illam determinationem, quia si esset in eius potestate, saltem efficere posset volitionem, vel desiderium habendi illam determinationem, quia non sunt aliter in potestate voluntatis nostræ, nisi quatenus possumus illas velle, & volendo, aut recipere, aut efficere; si autem aliquid potest libere facere voluntas, quo illam determinationem recipiat; interrogo ulterius an ad illud ipsum libere volendum determinationem requirat, necne? si requiritur, vel procedetur in infinitum vel sistendum erit in aliqua determinatione, quæ omnino ab extrinseco veniat, & non sit in potestate voluntatis, & in illa procedit totus discursus factus, quia tunc nullo modo intelligi potest, quomodo operatio ab illa determinatione procedens fuerit in potestate libera, & morali voluntatis. Si vero non requiritur illa determinatio ad illud opus primum, quod voluntas libere operari potest evidenter concluditur voluntatem indifferentem & nondum determinatam ab extrinseco agente posse se libere determinare ad aliquid volendum.

Dices non oportere, vt voluntas aliquid efficiat ante hanc determinationem, vt illam recipiat, sed satis esse, vt non efficiat, sed se moueri sinat & non impediat determinationem Dei.

Sed hæc fuga vt recte notat Pater Suarez quæ 404 in operibus gratiæ à nonnullis inuenta est, hic nullum habere potest locum, nam si hoc consideretur voluntas humana in exemplo supra posito prius natura, quam hoc, vel illud velit, necesse est vt omnino negative se habeat, quia nihil potest ex se incipere: ergo omnino se finit ad hanc, vel illam partem determinare, neque ex se magis ad vnum confert quidquam, quam ad aliam, si vero consideretur, vt iam aliquid agens quo resistat alteri parti, & non se finat ad illam determinari illud ipsum erit ex alia prædeterminatione Dei, de illa ergo priori determinatione redibit argumentum, quod esse non poterit in voluntatis potestate, vel habere illam, vel carere, ac ita tandem eodem revoluiamur, nimirum, quod carentia primæ determinationis necessitat ad volendum non sit in potestate nostra, sed in solo Dei arbitrio, & ideo nec libera esse possit, nec nobis imputari.

Tandem declaratur, & confirmatur hæc ratio, nam hæc determinatio dicitur esse à solo Deo; voluntas autem dicitur solum concurrere passive recipiendo illam; Neque enim eam efficere potest iuxta principia contrariæ sententiæ, quia ante illam voluntas est indeterminata, & vt sic operari non potest; & ideo determinari dicitur vt operetur: ergo ad hanc determinationem solum est voluntas in potestate passive: ergo non est talis determinatio in potestate libera, & morali voluntatis, quia vt supra dixi, potentia passiva non satis est ad liberam potestatem, & est per se evidens, nam quod minus possit determinari ad motum in hanc, vel illam partem non ponit ipsa liberam potestatem.

potestatem aliquam, sed illa esse poterit in motore: illa ergo determinatio per se, & immediate non est in libera potestate voluntatis, neque etiam dici potest esse in potestate eius mediate, id est, media aliqua dispositione quam si adhibeat recipiet illam determinationem, sicut receptio primæ gratiæ habitualis dici potest esse in libera potestate nostra media dispositione libera quæ in nostra est potestate cum Divino auxilio; non potest, inquam, hoc dici, tum propter discursum factum, quia de illamet dispositione inquiremus quomodo determinatio ad illam sit in potestate nostra; tum etiam quia ex eodem discursu impossibile est requiri in causa secunda dispositionem ab illa ad recipiendum primum, & essentialem influxum primæ causæ, cum nihil possit ipsa sine hoc influxu operari. Tum denique, quia ridiculum est ad omnem naturalem concursum primæ causæ, & ad actus omnes volendi etiam circa res minimas, ad ambulandum scilicet, loquendum &c. dispositionem ex parte hominis requirere propter ipsammet cooperationem liberam, quæ non est dispositio ad concursum, sed potius actio elicitæ cum ipso concursu.

403 Relinquitur ergo si determinatio hæc necessaria est illam non posse esse in libera, & morali potestate nostra, sed in sola libera Dei voluntate, ex quo ulterius fit quodcumque illa caremus, etiam operationem illam, quæ à tali determinatione essentialiter pendet, non esse in nostra libera voluntate, quia si deest nobis essentialia principium operationis, & illud habere non possumus, neque operationem ipsam habere possumus quodcumque autem voluntas non vult, aut non impedit, etiam positus alijs requisitis caret ista determinatione, & non est in potestate eius habere illam: ergo non potest illi moraliter tribui quod non velit, aut quod non impedimentum ponat; nunquam ergo carentia actus volendi, & carentia positionis impedimenti est nobis libera, nec moraliter potest nobis attribui, quia semper oritur ex carentia determinationis, quia non est in nostra potestate, & ob eius defectum etiam actus oppositus, & impedimentum ponere non est in nostra potestate.

404 Denique totus hic discursus fundari potest in quadam communi Sanctorum doctrina, qui Pelagio interroganti quomodo finis liberi ad opera supernaturalia præstanda si ad illa est gratia Dei necessaria, & nobis non datur, vel quomodo nobis imputetur horum operum omissio, Respondent, quia in potestate nostra est habere hanc gratiam, quam Deus nemini denegat; supponant ergo Patres non posse nos libere omittere, nisi vel habemus omne id, quod ad operandum necessarium est, vel saltem in nostra potestate sit illud habere; Cum ergo illa determinatio nec nobis detur, nec sit in potestate nostra, ut ostendi, si illa est ad operandum necessaria aperte concluditur omissionem operis nobis non esse liberam, nec posse nobis imputari, quod in fide erroneum esse manifestum est.

405 Deinde sic arguuntur, & hanc veritatem magis confirmo, quia habere auxilium sufficiens est habere quiddam requiritur ad conversionem, sed prædeterminatio requiritur necessario ad conversionem, ita ut sine illa, nec de potentia absoluta possit poni conversio: ergo qui non habet prædeterminationem non habet auxilium sufficiens ad conversionem. Item eos omnes, qui non implent præcepta non potuisse ea implere, sequi-

tur manifeste ex illa sententia quod est maxime erroneum.

Magister Ioannes Vincentius inter Dominicos insignis apud Salmanticenses Theologos dixit ingenue hoc argumentum esse insolubile, teste Ledesma in lib. de auxil. artic. 14. paulo ante conclusionem, & in vltima probatione suæ conclusionis ad finem, & propter hoc argumentum non posse defendi necessitatem physicæ prædeterminationis ad actus liberos, alij tamen tentarunt sæpe illud solvere tum Romæ, dum hæc controversia ageretur, tum in libris, & disputationibus occurrentibus.

Prima solutio est auxilium sufficiens non dare quod sufficit, ut homo convertatur, dare tamen quod sufficit ut possit converti, dat enim posse operari, non vero dat actu operari, quia ad actu operandum necessaria est prædeterminatio. Hæc est solutio apud ipsos communis, recipiturque à Ledesma, & Alvarez, & hoc explicat exemplo albedinis, quæ necessaria est ut Petrus sit albus, non tamen ut Petrus possit esse albus, sic inquit, prædeterminatio necessaria est ut homo convertatur, non vero ut possit converti.

Hanc solutionem impugno primo, quia videtur esse contra doctrinam ipsorum, dum explicant naturam prædeterminationis, dicunt enim sæpe cum auxilio non prædeterminante non posse hominem converti; sic loquitur Bañez 1. parte quest. 14. art. 13. in editione Salmantina, anno 1584. pagina 675. nulla, inquit, causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter à prima determinata: ecce negat non solum operationem, sed ipsum posse sine prædeterminatione. Item Naharrete tomo. 2. controvers. 5. §. 1. vers. & in his principijs, & alibi sæpe: ergo contra ipsorum sententiam est dicere, quod cum auxilio sufficienti possit homo converti.

Secundo impugno ratione, quia concursus prædeterminans non est ipsa operatio causæ secundæ; ut supponimus, sed aliquid ad ipsam operationem prærequiritum; ergo pertinet ad actum primum, modo pertineat ut virtus, modo ut complementum, modo ut applicatio causæ secundæ, de quo non constat inter ipsos, sed quidquid pertinet ad actum primum pertinet ad ipsum posse, loquendo de posse proximo, & completo: ergo qui non habet prædeterminationem, non habet posse proximum, & completum, imo habet impotentiam respectu consensus, quia habet prædeterminationem ad dissensum, quæ ex se essentialiter impedit consensum, quomodo ergo habet posse consentire?

Tertio, demus prædeterminationem non pertinere ad actum primum sed ad actum secundum, adhuc qui non habet prædeterminationem non habet posse, quia hic homo, qui non consentit, in tantum potest consentire in quantum est in eius potestate ponere consensum, seu actum secundum quem non habet; sed hic homo non habet in sua potestate ponere prædeterminationem, quæ non est actus secundus: ergo non est in sua potestate ponere actum secundum.

Item non habet in sua potestate ponere prædeterminationem à qua pendet essentialiter consensus, & aliunde non potest ponere consensum sine prædeterminatione: ergo absolute non potest ponere illum. Pone Petrum non posse iter agere sine equo Pauli, neque esse in eius potestate quod Paulus det equum, quis dicat Petrum simpliciter posse iter agere, si velit, & per ipsum stare quod non agat iter.

412 In quo obiter apparet exemplum supra positum ex albedine non esse ad rem, nam licet albedo non requiratur ut Petrus possit esse albus, sed solum ut sit albus, requiritur tamen quod Petrus habeat in sua potestate ponere albedinem ad hoc ut Petrus habeat in sua potestate esse album. Ex quo retorquetur exemplum contra ipsos, quia si non esset in potestate Petri ponere albedinem, sine qua non potest de facto esse albus, non esset in potestate Petri fieri album: ergo si non est in potestate Petri ponere praedeterminationem sine qua non potest actu conuerti, non est in potestate Petri conuerti, hoc enim probat exemplum.

413 Quarto implicat in terminis auxilium aliquod sufficere ut possit homo operari, non tamen sufficere ut operetur, si enim sufficit ut possit, ideo erit quia ponit in potestate hominis saltem remote quiddam requiritur ut operetur: ergo sufficit saltem remote ut operetur. Explico contradictionem per terminos summulisticos, haec enim propositiones sunt contradictoriae. Petrus cum hoc auxilio conuerti est possibile, Petrus cum hoc auxilio conuerti non est possibile, utraque autem videtur vera: robo primum, quia per te auxilium sufficiens dat posse conuerti: ergo denominat hominem potentem conuerti: ergo homo ex vi illius auxilij est potens conuerti: ergo illum conuerti est possibile, nam haec omnes, sunt aequipollentes propositiones.

414 Probo deinde hanc ipsam esse falsam, & per consequens secundam esse veram, quia illa prima modalis resolui debet iuxta regulam summulisticam per viam modalem v. g. Petrus cum hoc auxilio conuerti est contingens, & alteram propositionem de in esse hoc modo, haec est in materia contingenti, Petrus cum hoc auxilio conuertetur, haec autem est falsa, quia propositio quae est in materia contingenti, aliquando est vera, aliquando est falsa, ut dicitur in Summulis; haec autem per te nunquam potest esse vera, Petrus cum hoc auxilio conuertetur: ergo non est in materia contingenti; repugnat ergo cum dicis auxilium sufficiens dare quod sufficit, ut possit homo conuerti, non tamen quod sufficit ut conuertatur, omnis enim potentia est in ordine ad actum secundum; si ergo repugnat illi actus secundum, quomodo habet potentiam ad illud, aut si habet potentiam ad actum secundum, quomodo semper infallibiliter est non habiturum actum secundum; Hoc enim spectat illud Aristotelis 9. metaphysicae, text. 8. [manifestum est (inquit) quod non potest verum esse dicere, quod possibile quidem est, hoc enim non tamen erit, alioquin quoniam impossibilia sunt, hoc modo fugiunt nos.]

415 Secundo ergo Respondent auxilium sufficiens dare quidem posse incompletum, seu posse quantum attinet ad virtutem operandi, non tamen dare posse completum quantum attinet ad alia complementa, & requisita, quibus virtus indiget, ut exeat in actum secundum sicut potentia visiva dat homini posse videre, licet sine lumine non possit elicere actum visionis, ita Alvarez disp. 69. & alibi saepe.

416 Hanc solutionem facit e impugno, quia siue praedeterminatio sit virtus, siue sit complementum, siue conditio, adhuc tamen necesse est hominem habere in sua potestate haec omnia complementa & requisita, ut sit in eius potestate conuerti, & ut per ipsum stet non conuerti, quando de facto non conuertitur, si enim deest aliquid requisitum, quid mea refert quod deest oculus, vel quod deest lumen; si tamen utrumque requiri-

tur ad videndum, sane tam non stabit per me, nec imputabitur mihi non videre, quando deficit lumen, quam si deficeret oculus, quia habere utrumque non est in mea potestate: ergo quandiu non stat per me carere praedeterminatione, non stat per me non conuerti.

417 Ideo tertio tandem respondent homini imputari carentiam praedeterminationis ad conuersionem, quatenus suis peccatis impedit auxilium praedeterminans quod Deus daret ad conuersionem; inde imputatur etiam illi, quod non conuertatur, sicut si homo prouocetur à Deo ad volandum oblatris alis, & concursu, si homo respuat alas ipsi imputabitur: quod non vult, ita Alvarez disp. 28. num. 20.

418 Haec solutio in primis destruit iam commune illud axioma in eorum schola receptum, scilicet auxilium praedeterminans dari ex solo beneplacito Diuinae voluntatis; haec enim est illa vox Dominici Bañez relati supra, non esse rationem reddendam, neque querendam cur his detur praedeterminatio, & illis negetur, hoc enim ex simplici Dei voluntate pendet, ideo enim recurrunt ad altitudinem diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quia non apparet ratio ex parte nostra, sed iam nescio quomodo apparuit aliqua scilicet, quia hic homo peccatis suis clausit fenestras arbitrii, ideo enim non affulsit ei lux praedeterminationis; non ergo videntur stare in sententia illa, qualem à Dominico Bañez acceperunt.

419 Secundo impugnatur solutio, quia vel homo se disposuit ad praedeterminationem per opera bona priora, vel solum per carentiam peccatorum; si per opera bona, ad haec etiam necessaria fuit praedeterminatio ad quam debuit se disponere per alia opera priora, & sic procederetur in infinitum, vel sistendum est in aliqua praedeterminatione data sine intuitu ad alia opera; si vero se disposuit per meram carentiam liberam peccatorum, ad hanc etiam necesse habuit, vel habere praedeterminationem positivam, si iuxta sententiam probabilem non possit dari pura omisso libera, vel saltem necesse habuit carere praedeterminatione, quia moueretur ad ea peccata pro materiali; si enim praedeterminaretur ad ea opera pro materia peccaret infallibiliter, & impediret praedeterminationem ad conuersionem. Reddit autem idem argumentum de praedeterminatione ad opus malum pro materiali, quomodo potuerit homo eam impedire, an per alia etiam opera praecedentia.

420 Tertio impugnatur, quia non est infallibilis connexio inter negationem peccati praecedentis, & inter praedeterminationem ad bene operandum, nam licet facienti quod in se est Deus conferat lucem, & auxilium ad perseverandum, non tamen semper conferat auxilium efficax, sed sufficiens; ergo neque hoc modo fuit in potestate hominis habere auxilium praedeterminans ad perseverandum. Item ponamus hominem, qui nunquam adhuc peccauit, quid faciet hic homo, ut praedeterminetur ad obediendum Deo p. accipienti actum charitatis? certe non demeruerat praedeterminationem ad obediendum praecepto Diuino per priora peccata, nulla enim prius praecesserant, certe Angeli omnes non demeruerant praedeterminationem secundi instantis per aliquod peccatum prioris instantis; nam in primo instanti omnes dilexerunt Deum super omnia; quomodo ergo caruerunt sua culpa auxilio praedeterminante, ut ipsis imputetur haec carentia.

Dicunt

421 Dicunt aliqui præcedere posse ex parte hominis, vel Angeli aliquam non resistentiam, qua se aliquomodo disponat ad prædeterminationem.

422 Sed contra & interrogo quid sit hæc non resistentia: si est actus positivus, redeunt argumenta supra facta, quia ad hunc etiam actum prærequiritur prædeterminatio; si est negatio alicuius actus reflexi, quo dicat homo nolo converti, redeunt etiam argumenta facta, quia multi non habent actum reflexum, & tamen non datur illis prædeterminatio.

423 Item ad omittendum hunc actum reflexum, necesse est non prædeterminari ad ipsum; ad carentium autem hac prædeterminatione rursus prærequiritur alia non resistentia, & sic in infinitum, vel venire debes ad aliquam prædeterminationem, vel carentiam prædeterminationis, quæ nullo modo fuerit in hominis potestate.

424 Denique contra has omnes solutiones hoc modo argui potest, quod si tota carentia auxilij efficacis imputatur homini, quatenus per priora peccata vel omissionis, vel commissionis, indisposuit se ad prædeterminationem: ergo tunc solum formaliter peccavit homo, quando apposuit illud impedimentum auxilij efficaci, non postea quando elicit actum odij, verbi gratia, sicut qui proicit brevium in mare, tunc peccat formaliter quando ponit impedimentum precibus crastinis, & licet on illo crastina imputetur etiam ei, quia dedit causam, sed tamen eras non addit novam malitiam formalem, sed solum denominationem ex causa præcedenti iuxta communem, & veram Theologorum sententiam, quia posita illa causa iam non potest impedire effectum; si ergo qui resistit, seu impedit prædeterminationem per aliquam omissionem antecedentem, tunc peccavit formaliter quando apposuit illud impedimentum; postea vero, quando ex defectu prædeterminationis omittit Sacrum verbi gratia, non peccavit, nisi denominatione quia posito illo impedimento præcedenti iam, non potest vitare effectum.

425 Propter hæc alii ex adversariis iam tandem dixerunt auxilium physice prædeterminans posse obtineri ab homine per actum ipsum ad quem datur prædeterminatio, ita ut detur mutua prioritas inter prædeterminationem, & actum, sicut aliqui dicunt dari inter habitum charitatis, & actum contritionis: sed hæc solutio iam satis reiecta manet, ac funditus labefacta.

SVBSECTIO XIV.

Aliud argumentum ponitur.

426 Probatur sic, quia licet omnis amor charitatis Dei sit supernaturalis, & maximæ perfectionis, omnemque actum meritum in excellentia superet, nihilominus, quia procedit ab homine physice prædeterminato ad illum per lumen gloriæ & per visionem Beatificam, sine eo quod situm sit in sua potestate non facere illum, nec possit suspendere talem actum minime est meritorius: sed per vos omnis actus charitatis, fidei, spei, & aliarum virtutum, quæ in via sunt, fluuntque ab homine physice prædeterminato ad unum sine eo quod possit talis homo

resistere tali prædeterminationi, aut non facere id ad quod prædeterminatur non est meritorius: ergo nullum datur opus virtutis meritum vitæ æternæ in via secundum vestram opinionem, quia non est maior ratio in his operibus quam in amore Charitatis Beatifico, ut sit meritorius vitæ æternæ, ut patet ex paritate rationis inter hunc actum & illum, inter hanc prædeterminationem, & illam.

Dices cum Albelda tom. 1. prima partis, disp. 427 § 7. sect. 3. art. 8. dari duplicem prædeterminationem, prima est quam vocat naturalem seu per modum naturæ, & hanc ait tollere vsum voluntatis. Secundus modus prædeterminationis est, ut denotet promotionem intrinsecè inherentem voluntati habentem intrinsecam virtutem realem ad inclinandum illam, ut infallibiliter Deo vocanti consentiat, & hic modus non tollit libertatem, & comparitur cum vsum meritorio, & primus modus potest dici convenire prædeterminationi Beatorum, ac proinde non esse meritorium actum amoris elicitum à tali physica prædeterminatione. Secundus autem modus poterit accommodari physice prædeterminationi, qua prædeterminatur homo eliciens actus virtutum in via, ac proinde esse liberos, & meritorios.

Sed contra primo, & interrogo quid significet illa vox prædeterminatio naturalis, vel per modum naturæ, quia hæc vox naturalis hic, vel sumitur prout opponitur supernaturali, & in hoc sensu est falsa solutio adversariorum, quia auxilium efficax est ad eliciendum actum charitatis supernaturalem, & physica prædeterminatio voluntatis ad talem actum, & nihilominus est supernaturalis; ergo vox illa naturalis non sumitur eo sensu, quo naturale opponitur supernaturali. Vel sumitur naturale prout opponitur præternaturali, & in hoc sensu etiam secundus modus prædeterminationis dicitur naturalis, quia non est præternaturalis; unde in hoc sensu non potest dici naturalis prædeterminatio illa principia, siquidem per illam particulam intendunt adversarii discriminare primum modum prædeterminationis à secundo, aliis eadem esset ratio convenientiæ & differentiæ respectu eiusdem quod est impossibile, vel sumitur naturale prout opponitur libero, ac per consequens conuertitur cum necessario, ita ut idem sit naturalis prædeterminatio, ac prædeterminatio necessario inducens actum, sine eo quod possit homo non operari, supposita physica prædeterminatione, & in hoc solo sensu videntur loqui adversarii, sed sine dubio, si in hoc sensu loquuntur committunt evidentissimam petitionem principij, quia nos asserimus per physicam prædeterminationem, secundum ordinem necessariam actionem prædeterminatam ad quam dirigitur talis prædeterminatio, quod ex omnibus argumentis supra positis patet. Ex quo colligimus talem prædeterminationem esse necessariam, & non liberam his, ac proinde dicimus non distinguere à prima, quia sicut posita prima necessaria sequitur actus, ita posita secunda.

Respondent adversarii dicentes, primam prædeterminationem esse necessariam, & non secundam, quia prima est naturalis, & per modum naturæ. Secunda autem non. Dum autem interrogamus quid sit naturale, Respondent esse necessarium; unde idem est ac si responderent, ideo esse necessariam prædeterminationem, quia necessaria est, sicut si ego interrogarem, quare gladius